

PETRI PITHOEI J. C. VITA

PITHOEORUM Originem è Viromensi Pago, qui situs est ad mare in Neustria, publica loquuntur monumenta in Recensione Nobilium, qui anno salutis M. C. XC. in Hierosolymitanam militiam ultrò iere: in quibus Guilelmus Pithœus, secundus Viromensium adscriptus, addito ejus digmate, quod idem in Pithœorum Trecentium scutis etiamnum manet. Post quem longo intervallo Æmilius Pithœus patriâ, & paternis opibus majori natu fratri relictis, venit in Campaniam, ubi filium Andream genuit, è quo natus Petrus, qui & alterum Petrum reliquit patrem nostri Pithœi, ad quem festinans de patre pauca dicam. Natus is in Campaniâ vico, non longè à Trecenti civitate, in quam migravit simul ab armis ad literas, quibus tum pretium atque honos, regnante Francico I. In iis excelluit hic Petrus Juris Municipalis, de quo toti Provinciâ respondebat, & Civilis peritissimus; quod & filiorum relatione, & maximi Cujacii testimonio compertum est. Uxores duas duxit, è prima geminos tulit Joannem & Nicolaum; ex altera plures, sed illustres maxime Petrum & Franciscum, utrumque natum Republicâ & bono literarum. Petrus natus Kalendis Novemb. an. M. D. XXXVII. ingenio à primo ætate acuto semper & prompto, & corpore diu infirmiore, donec adolescentis ætate, & procerior sperato evasit & robustior. Primas literas in urbe Tricassium didicit, missus inde Lutetiam florentes literas coluit diligentissimè, unice miratus Turnebum & Gallandium eximios illis temporibus Eloquentiæ & Philosophiæ Professores. Hinc Avaricum Biturigum profectus est ut Jus Civile addiceret, cum mandatis parentis prudentissimi senis ne Glossas aut Commentarios Doctorum moraretur, sed ipsa Legum verba religiosè expenderet, è quibus vera lux Juri Civili, sicut ex dubiis interpretationibus ac vacillantibus meræ tenebræ. Quæ mandata secutus est filius summa fide. Ibi Doctorem maximum Cujacium nactus Pithœus, ei adhæsit uni, eumque Avarico Valentiam secutus adeo profecit, ut Cujacius in arctiorem amicitiam & familiaritatem adolescentem ascisceret, & discere Doctorem à Discipulo, ac, quæ didicisset, publicis monumentis profiteri non dedignaretur. Audivit eum Pithœus ad annum usque M. D. LX. summâ industriâ Jus Civile simul tractans, & in omnem Antiquitatem inquirens. Quod & ad vitæ exitum usque prosequutus est, vetustissimos optimorum Scriptorum codices undequaque quovis pretio comparans, dein anxio & fideli labore conferens, non ut in iis emendandis conquiesceret, sed ut ex puris fontibus rerum ipsarum cognitionem hauriret, quam potiore semper habuit verborum scientiâ: sicut utramque in omni vita parvi factam à se indicavit, nisi ad utramque accederet pietas morum, integritas vitæ, & in excolendis publicis privatis officiis inculcata industria. His artibus munitus, à studio ad Forum & Rempublicam venit, delecta Parisiorum urbe quò sedem fortunarum conferret, & amplissimâ Curiâ quam assidue sectaretur, non infano lucri cupidine, neque ut solenni decurso tempore gradum sibi faceret ad emendum Magistratum, quod ille detestatus est semper: sed ut Juris nostri usum in amplissima Schola perdisceret, quo cognito, & adesse amicis, & prodesse omnibus consilium expetentibus posset, ac præcipuè Republicæ, si quando usus eveniret. Delatam ad se amici causam egit in sanctissimi Ordinis Consistorio, atque obtinuit, sed unicam: assiduus tamen Foro, notandisque quæ illustriora Decreta diligentissimus: consulentibus de scripto respondens, sed numquam nisi accuratè expensis, quæ scriberet. Quod idem in iis, quæ publicè ab eo edita sunt, præstitit; in quibus pauca de suo, eaque certissima scripsit, nec umquam nisi adscriptis Veterum autoritatibus: atque hoc scribendi studium numquam sejunxit à forensi. Itaque plurima veterum Autorum, sive Theologorum, sive Jurisconsultorum, sive Historicorum, sive Poëtarum etiam ac Philologorum ex ejus Bibliotheca lucem videre: eaque selecta omnia, & summi ejus judicii, atque ingenii, præcipuè verò sinceri candoris indicia certissima. Illustris certè ejus labor in Historia posteriorum seculorum à Justiniani & paulò antiquiore ævo ad patrum nostrorum memoriam, quæ tenebris obruta, ac penè sepulta erat. Quæ ad Regnorum & Provinciarum statum aut Ecclesiæ administrationem pertinent, ex optimis Antiquitatis monumentis eruit, datis in lucem, quæ selectissima sunt de duabus Gentibus Regum nostrorum, de Caroli Magni ac Successorum legibus, quæque de Comitum Campanorum serie: sed præcipuè restitutis veterum Theologorum Scriptis, quæ plurima vel primus, vel meliora dedit in vulgus; daturus etiam, nisi mors prævenisset, magnum atque utilissimum opus, diligentissimam Synodorum omnium editionem, quam summo studio, impensâ, labore collegerat. Anno M. D. LXXIX. duxit ex honestissima familia Catharinam Paludellam conjugem, cum qua deinceps vixit inoffensâ concordia: mansitque inde in Foro, adscitus in consilium à maximis quibusque & sapientissimis, delectus etiam ab ignotis controversiarum arbiter: tantumque sibi autoritatis vera virtute quæsierat apud omnes tam in Senatu quàm in Aula, ut nec de Republica antè sententiam dicerent Viri Optimates, quàm Pithœum autorem habuissent; & sæpè ex Italia à potentissimis Principibus ad eum lites dirimendæ missæ sint: unde agnosceres in privata toga perpetuum summumque Magistratum. Adscitus est primò inter Substitutos Regionum Cognitorum, quo in honore ita placuit & Magistratibus & privatis omnibus, ut invitus retineretur in eo munere, etiam postquam id, ut cetera, addictum pretio. Et paulò post quærenti Regi Henrico III. qui Cognitoris sui vice delegatæ in Aquitaniam Cameræ adesset, commendatus est ab omnibus Bonis Pithœus, lectusque statim habuit, ubi summæ doctrinæ, ingenii, prudentiæ, probitatis, fidei documentum in omnium oculis daret. Indicavit virum sapientissimum Magistratus amplissimus & Aquitanie Provinciæ & universæ Galliæ, quo deposito repetiit Forum ac literarum studia. Ultrò delatum ab Henrico III. in suprema, quæ tunc erat apud

Catalaunenses, Curiâ Cognitoris Catholici officium constanter & modestè recusavit. In urbe mansit cum uxore & liberis, ea spe fretus fore ut ope & consilio adjuvaret in tempore labentem miseram civitatem, si quando præsentium malorum tædium, metus ex imminentibus, & remissus irarum æstus sanctis monitis locum daret. Itaque post dirum illud & excitatum per quinque annos everse Civitatis incendium, urgentibus jam fati, & conspirante Bonorum omnium consilio, maxime verò Pithœi operâ pervincere partes meliores. Fuit ille præcipuus autor illius celeberrimi Decreti, quo sacra Lex de hereditario Principum jure dubiis & misetis temporibus fuit confirmata. Tum verò studiis omnibus præsertim insitit apud Optimum Principem, quem malæ improborum hominum artes ab avita Religione incautum averterant, ut piè momentibus patientes præberet aures, & agnitâ novæ Sectæ perveritate sinceram Majorum fidem profiteretur. Ipse & credendi argumenta suppeditavit, & ritum indicavit, quo Regem ab Antistitibus absolvi oporteret. Vocatus in urbem Princeps, ignovit præteritis, & paucissimorum capitum fortuito exitio, quorundam sceleratorum voluntario exilio firmata quiete, restituit omnia pœnitenti civitati. Aberant tùm ab urbe Senatûs Parisiensis potissimi, & qui restiterant novò decreto confirmari debebant: quod absentibus Regis Cognitoribus fieri non poterat. Placuit ut deligerentur tantisper huic muneri, ex iis qui in urbe manserant præcipui fide in Principem, integritate vitæ, ac rerum usu & peritiâ. Itum est ad Pithœum, veteremque ejus amicum & studiorum omnium communiōne conjunctissimum Antonium Oisellum, quorum hæc utriusque laus, quòd facillè tantæ turbæ consuluerint: sed hæc Pithœi propria, quòd constantissimo judicio pervidit, quàm periculosum esset multis nominibus in absentium Senatorum reditum differri restitutionem Senatûs, & Juris dicendi solennia. Qui, ubi rediere, rediit ad pristinam vitam privatus. Mox grassante in urbe Parisiensi letali morbo, quamvis constituisset non abire, victus tamen precibus Suorum, secessit in Campaniam: ibique Trecentem urbem, antiquam patriam primò, deinde affines & prædia sua visitavit. Licet robustus corpore & satis firma valetudine, sibi mortem imminere præsentit, in tota illa peregrinatione solitus dicere amicis se venisse ut in patria decumberet. Itaque evenit. Nam attentatus tertianâ in prædio suo, ut valetudini consulere, deportari voluit in oppidum Novigentum, ubi ingravescente morbo, Divino nescio quo instinctu diem ipsum mortis prævidit, Kalendarum scilicet Novembrium diem, quem & natalem ei fuisse antè diximus. Tum Christianâ peractâ Exomologesi, & morientium Viatico munitus inter Suorum suspiria & lachrymas occubuit. Dissipatâ obitûs famâ, luxit urbs Tricassina publici funeris honoribus, optimi civis memoriam profecuta: luxere Parisiis Ordines omnes, & quidquid ubique Doctorum. Implevit annum quinquagesimum septimum, quem nec pater excefferat. Ex uxore filios quatuor habuit acerbo fato raptos omnes. Filias reliquit superfites duas Ludovicam & Mariam.

P. PITHOEI I. C. TESTAMENTUM

In nomine Domini, Amen.

MORIBUS valdè corruptis ac pravis, seculo infelicissimo, quantum in me fuit, fidem servavi. Amicos ex animo amavi & colui: inimicos benefactis vincere, aut contemnere, quàm ulcisci malui.

Conjugem ut meipsum habui: Liberis parùm indulgi: Famulis ut hominibus usus sum.

Vitia sic odi, etiam in meis, ut virtutes in externis vel hostibus veneratus sim.

Privatæ rei servandæ potiùs, quàm augendæ operam dedi.

Quod mihi fieri nolui, alteri vix umquam feci, aut fieri passus sum.

Injustam aut difficilem gratiam venalem sprevi.

Sordes & avaritiam in omnibus, præcipuè verò in Religionis ac Justitiæ Sacerdotibus & Ministris exsecratus sum.

Puer, juvenis, vir senectuti multùm detuli.

Patriam unice dilexi.

Opus potiùs quàm honores, aut magistratum amavi: ac prodesse quàm præesse malui.

Privatus ultrò publico studii: ei nihil prætuli, atque in commune consulere potiùs tutiùsque semper existimavi.

Statum publicum laborantem prudenter sanari, emandarique optavi: perverti, immutari, novari, aut perturbari penitus numquam cupivi.

Pacem vel injustam, quod bonâ omnium bonorum veniâ dixerim, civilibus discordiis bellòque potiore putavi. Pietatis & Religionis sacrosancta nomina, ambitioni atque avaritiæ, sceleribusque prætexi & obtendi gravius tuli.

Melioris Antiquitatis non indiligens quæsit, admirator & cultor, novitates facillè insuperhabui.

Quæstiones vanas disputationesque subtiliores de iis quæ ad Deum pertinent, ut noxias odi ac fugi.

Simplicitatem prudentiâ aliquâ conditam & septam, astutiâ & calliditate tutiorem feliciorémque sapiùs expertus sum.

Rectè de rebus judicandi studium, Eloquentiæ artibus prætuli.

Procul ambitu atque avaritiâ invidiâque, inter amicos plures ac bonos potentésque, fortunâ non planè infimâ, sollicitiùs aliquantò vixi, quàm privatum fortassis decuit: de publicis tamen & amicorum rebus magis quàm de propriis cogitans.

Part. I.

h ij